



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen**

...

... Quadragesimale, Oder ... Predigen/ Deren auf Jeden Sonntag ... zwey  
eingrichtet ... Zweyter Theil

**Barcia y Zambrana, José de**

**Augspurg, 1719**

Censura Reverendissimi Patris Magistri Joannis Baptistæ Malo Societatis  
Jesu, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76484](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76484)



# CENSURA REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI

Joannis Baptistæ Malo Societatis JESU, Theologiæ Doctores & Præpositi  
quondam Domus Professionis Imperialis Civitatis Toletanz.

M. P. S.



**E**X mandato V. A. revidi Tomum secundum sermonum quadragesimalium, quem typis mandare desiderat Doctores D. Josephus de Barzia & Zambrana ante hac Cænicus Insignis Ecclesiæ Collegiæ sacri montis Granadæ, & Lector Sacræ Scripturæ, modò autem Cænicus Sanctæ Ecclesiæ Toletanz Hispaniarum Primariæ. Atque fateor, timendum esse, ne censura, quamvis intra Justæ, & sinceræ approbationis limites se contineat, cum aliquid quod sanum judicium in libro hoc admiratione dignum invenit, attingere, ac referre debeat, plus æquò rem exaggerare videatur. Tam substantiales etenim vitæ Christianæ conductes doctrinæ: Materiam tam fundatæ & propriæ sensui Evangelij: Loca tam genuina, & spiritui Scripturæ conformia; Sententiæ tam succinctæ, & acres ad penetrandas animas, & sequæ memoriæ imprimendas: Discursus tam ingeniosi, atque efficaces ad convincendam rationem: auctoritates Patrum tam præclaræ, & selectæ ad confirmandam veritatem: similitudines tam vivæ, ac claræ, ut omnia ejus dicta admirabili cum facilitate intelligantur: verba tam plana, atque modesta, ut auditores omnia, quæcunque proponit communi cum acceptatione percipiant: Stylus ejus elegans ac ab omni affectatione, aut violentia purus; ejus sacra pariter ac politica eruditio cum discretione & absque redundantia: affectus Rethorici oportuni, & efficaces ad movendum, persuadendum, corrigendum, incutiendum pœnarum timorem, injiciendum horrorem à peccatis, animandum ad observationem divinæ legis, faciendam viam salutis, & exercitium virtutum, sunt fructus diligentis, & extraordinariæ, & excellentiæ tam ratæ, ut, quando concurrunt, uti in isto libro, absque eo, quòd necesse sit oculos in alios multos pari felicitate ab hoc auctore editos conjicere, concilient ipsi venerationem tanquam Missionario Apostolico, attentionem tanquam Oratori Evangelico, æstimationem tanquam Insigni Scripturistæ, reputationem tanquam consummato Theologo, applausum tanquam viro erudito, politico, eloquenti, prudenti, atque in omni scientia, ac qualitatibus instructissimo. Hinc judico, quòd V. A. sit perlubenter peritam datam licentiam, nobisque omnibus gratum esse deberet, si posthac pro imprimendis alijs ejusmodi operibus facultatem postularer. Toleti vigesimo Augusti, Anno Milleesimo sexcentesimo octogesimo sexto.

Joannes Baptista Malo.

## PROLOGUS AUCTORIS.



**D**esiderium meum (amice Lector) dignationi tuæ deservit publicando jam secundum tomum Quadragesimalem; nec mihi occurrit, quòd ultra id, quòd tibi in prologo primi tomi dixi, addam, nisi, quòd licet promiserim omnes conciones totius quadragesimæ duobus tomis concludere, convenientius mihi visum fuerit tribus dare, ut in tertio (cui jam scribendo initium feci) Septimana sancta integrè contineatur. In isto sequor stylum & ordinem primi citando probationes ex Excitatore, & annexendo Remissiones ad dictos quinque tomos, qui jam in duabus partibus in folio sub prælo sunt, ut eò magis conjuncti essent. Et quamvis magna tua (si non nimia) benignitas, quam scriptis meis exhibuisti, mihi quandam auctoritatem attribuere posset, ut me cogitationum & inventionum in eis contentarum auctorem scriberem, hoc tamen de me ipso obtinere nequij, sed dicta mea auctoritate Sanctorum Patrum, atque Expositorum fulcire studui, fortiter memoriæ imprimendo, quòd Tertullianus prudentissimè locutus est, illum de vanitatis per studia quæritæ notâ suspectum esse, qui auctoritatem Magistrorum allegare omittit: *Prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloria studio, si non assistat auctoritas Magistrorum.* Etiam si desiderem sequi consilium Senecæ suadentis, ut quis per studia & diligentiam quasi per concoctionem in propriam substantiam convertat, quæ è libris solummodo ut alimentum desumit ut sententiæ non solum per prædicationem, & scriptionem transferantur, sed benè mastigentur atque digerantur, ut in alimentum proprium & aliorum deserviant: *Quæcunque hausimus, non patiamur integra esse, nec aliena sint, sed concoquamus illa, alioquin in memoriam ibunt non in ingenium.* Instantèr tergo, sis in orationibus tuis meæ necessitatis memor, bonam voluntatem, qua tibi deservio, sic remunerando: ingentem etenim mihi incutit timorem Sidonius à Consentio, qui scripsit: in judicio multa opuscula in lucem edita parum auctori profutura, nisi copiosis operibus bonis illustrentur: *Tempus est meminisse nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda.* Patere ob hanc me tibi obstructum esse charitatem, ex qua & tu emolumentum hauries, si enim mihi à Domino Deo nostro obtineris Spiritum, & Zelum, quo indigeo, meliores prodibunt reliqui tomi sermonum Festivalium, quos tibi promisi, & dare cupio cum omni brevitate. Vale.

Tertul. L. 4. contr. Marcion. c. 2.

Senec. Epist. 35.

Sidon. l. 8. Epist. 4.

Regi